sed per amorem et operationem spiritus sancti. Nec ipse spiritus sanctus idcirco Christi dicendus est pater quia et amor
in conceptione virginis operatus est, quia nec de sua essentia virgini semen partus tribu-
it, sed sibi de carne propria virginis per amorem suum atque virtutem substantiam ministra-
vit. Christus quoque et de virgine natus est, quia de carne virginis carnis substantiam accepit,
et de spiritu sancto conceptus est, quia ipsa eum virgo ex sola carne sua sine ad-
mix tione virilis seminis per spiritus sancti operationem amoremque concepit.
Hinc est quod eidem virgini pariture per angelum dicitur: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus
altissimi obumbrabit tibi. Spiritus sanctus namque virgini supervenit, ut per eius operationem
caro Christi de carne virginis formaretur; et virtus altissimi obumbravit,
ut que substantiam carnis ministrans a carnali concupiscentia ureretur. R.

Queritur. De unione Verbi anime et carnis.

Queritur utrum verbum carnem simul et animam sumpserit, an carnem prius quam ani-
mam, sive animam prius quam carnem. Sanissime et absque omni dubitatione creditur
quod totum quod hominis est deus assumpsit. totum assumpsit, quia totum quod hominis est assumpsit. sic homo
deus, sic et deus verus homo fuit. Verus autem homo non fuisset, si in sola carne aut in anima sola, quia
homo est et caro et anima. Itaque cum hominem assumpsit, simul utrumque assumpsit. Assum-
psit autem carnem et animam, id est hominem et naturam, non personam. Neque enim assumpsit hominem
personam, sed assumpsit hominem in personam. Ideo autem hominem assumpsit, quia carnem huma-
nam et animam humanam assumpsit. Ideo autem personam non assumpsit, quia caro illa et anima
illa priusquam verbo unirentur in personam non erant unita ad personam. Una unio fu-
it et ad unum unio fuit, et verbi et carnis et anime; non prius verbum et caro, et erat quidem
et anima; nec prius anima et caro, sed simul verbum et anima et caro. Et erat quidem verbum
ante hanc unionem persona, quia filius erat, que persona erat, sicut pater persona erat, et spiritus
sanctus persona erat. Et erat persona eterna, sicut verbum eternum erat, et filius eternus erat. Nec coepit
esse persona verbum cum homo esse coepit, sed assumpsit hominem verbum persona esse incipiens non alia persona
quam illa erat que illum accipiens. Itaque verbum persona accepit hominem non personam, sed na-
turam, ut qui suscepit et quod suscepit una esset in unitate persona. Neque in homine
assumpto quaternitas facta est, sed trinitas mansit, quia homo assumptus ex quo deus esse
coepit non alia persona esse coepit quam illa que eum suscepit. Qui vero hominem assumptum negat